

Ioannis nuper Ducis Northumbriae in  
Anglia, quum ad supplicium productus  
es...

Dudley, John,



# IOANNIS NVPER DVVIS NORTHVMBRIÆ IN

Anglia, quum ad supplicium produ-  
ctus esset oratio.

Oderunt peccare boni, virtutis amore.



Oderunt peccare mali, formidine poene.

Stare super vias & uidere & interrogate de semitis anti-  
quis que sit via bona & ambulate in ea & inuenietis re-  
fugium animabus vestris. Ierem; 6.

P R A E F A T I O.



Vó pius Lector illam, quę sequitur, ora-  
 tionem clarius intelligat, placuit hæc  
 pauca de prospera & aduersa eius for-  
 tuna præfari. Siquidem hic Ioannes  
 non plebeia conditionis homo, sed in-  
 inclyto illo Anglię Regno, Dux Nor-  
 thumbrię existens, ED VARDI eius nominis sexti  
 Regis Anglię, eiusdemque Regni gubernator fuit.  
 Et Rege ED VARDI vita functo, Ioannam HEN-  
 RICII octavi Regis ex sorore neptem, filij sui Vxorem  
 Reginam proclamari iussit. Mariam ueró præfati Re-  
 gis HENRICII legitimam filiam, dictique ED-  
 VARDI Regis demortui sororem captiuandam  
 censuit, coactoque exercitu contra Mariam, quæ tum à  
 Londino Anglię Metropoli, per quadraginta millia-  
 ria aberat, recta contendit Maria veró, tamen si omni  
 humana ope penè destituta esse videretur, spem suam  
 in Deum collocans, eidemque sese & causam suam tu-  
 stam committens, Diuina eius ope freta etiam conscri-  
 bit exercitum, ac eum quidem à principio satis tenuem  
 Paucis veró post diebus (Deo Opt. Max. ita dispo-  
 nente) tam numerosum consequuta est, vt etiam ipse  
 si Ducis prædicto terrori & formidini fuerit. Quo factum  
 est, vt maior potiorque pars Magnatum & Nobili-  
 um, qui Ducis partes sequuti fuerant, ad Mariam tan-  
 quam legitimam & indubitatam Hæredem Regni se  
 contulerint, prædicto Duce cum quatuor filiis ac fratre  
 eius relicto, quem paulo post præfata Maria iam citra

omnem controuersiam paterni Regni scepra & gubernationem tenens, compræhendi, Londinumq; captiuitum duci, & è vinculis causam dicere iussit. Quod cum faceret, ac palàm confiteretur, se manu armata contra Dominam & Reginam suam insurrexisse, quemadmodum ipsius rei gestæ notorietas & euidentia quoq; testabatur, Iudices eum læsæ Maiestatis criminis reum pronunciarunt. Reginalis tamen serenitas etiam de ipso mortis genere perclementer secum a gens, capite eum duntaxat plecti fecit. Quam quidem mortem priusquam obiret, sequenti oratione populum est alloquutus.

\* \*

\*

# ORATIO IOAN- NIS NUPER DVVIS NORTHVMBRI-

AE, per eum e Suggestu, antequam capite ple-  
teretur, ad populum adstantem habita.



Iri boni, quicumque me morientem spe-  
ctaturi adestis, et si mea mors odiosa, &  
hominum opinione per horrenda sit,  
vos tamen oro, quæ Deo authore fiunt,  
de ijs candidè vt iudicetis. Nam is benè  
ita vt melius non possit, omnia agit. E-  
go vero quod ad me attinet, profligatum me & miserū  
agnosco peccatorem pœnam capitis promeritum, ac  
morti legum ex autoritate iustissimè addictum; tas  
met si quod factum mihi mortis causa est, id non à me  
solo( ita vt putatur) natum & profectum est. Ego ali-  
orum impulsu ad id suscipiendum motus sum, aliorum  
inquam impulsu id vt susciperem, inductus sum; sed  
ab sit, apud vos quenquam nominatim vt perstringā.  
Nullius ego apud vos nomen edam, ac propterea id à  
me ne expectetis rogo. Ego quanti mea interest, omni-  
bus ignosco, denique ipsis identidem vt condonetur,  
uehementer oro. Quod si uestrum, qui adestis, quen-  
quam læsi, à vobis atque vniuerso hominum genere  
veniam peto, maximè uerò vt mihi ab illustrissima Re-  
gina, inquam meum atrocissimum crimen est, ignosca-  
tur, postulo. Populus acclamabat, Amen.

**V**Os autem( inquit) vniuersos testes volo, me cha-  
ritate & perfecto in omnes amore præditum é vñ

ta excedere, eoque me ipso mortis in articulo vestris pre-  
cationibus iuuetis quaeso. Porro vnum viri boni, quod  
apud vos dicam, etiam restat, ad quod me conscientiae  
meae religio vel imprimis mouet, id autem est, vos vt  
moneam atque horter, a factiosis concionatoribus & do-  
ctrinae nouae authoribus caueatis, qui se diuini verbi  
concionatores videri volunt, re vera autem sua inuen-  
ta docent, hi suas cogitationes atque animi conceptio-  
nes explicare nunquam potuerunt. Quid crastino die  
volent, hodie nesciunt, nihil in ipsorum doctrina firmum  
aut constans est. Librum illi quidem aperiuunt, sed aper-  
tum deinde claudere nesciunt. Etiam atque, etiam vis-  
dete, quomodo vos in opiniones peregrinas & genus  
doctrinae nouum conijciatis, quae res nec parum huic  
regno detrimenti attulit, & diuini numinis iram merito  
in nos excitauit: id quod facile intueri possit, si cui li-  
bebit multiplices illas calamitates ad memoriam reuo-  
care, quibus afflictum est hoc regnum, ex quo ab Eccle-  
sia CHRISTI Catholica, & doctrina a sacratissimis Apo-  
stolis, martyribus sanctis viris omnibus recepta, per  
omnes nationes CHRISTI nomen profitentes ab ip-  
sis CHRISTI temporibus vsitata, nos seiunximus.  
Ego vero pro certo credo, quae calamitates nuper post  
HENRICI mortem, qui erat eius nominis octauus,  
atque aliquot annis antea, huic Regno acciderunt, eas  
omnes merito nobis accidisse, quod a reliquo Christia-  
nismi corpore, cuius nos, si ratio habeatur, exigua por-  
tio sumus, nosmet separauimus. An non belli incom-  
moda, non famem ac pestem sensimus? non Principis  
morte, ciuium defectione, seditionibus intestinis, coniu-

rationibus afflicti sumus; non multiplices opinionum  
errores, ex quo Ecclesiae catholicae vnionem deseruis  
mus, hoc in regno inter nos pullularunt: Et quod tan  
dem calamitatis genus non sensimus? Quod si ista vos  
non mouent, saltem Germaniae statum intueamini, quae  
postquam catholicae Ecclesiae vnione relicta, in hanc  
dissensionem & schisma incidit, assiduis tumultibus &  
discordijs attrita, penè vltimum ad interitum est reda  
cta. Quapropter pugnantem opinionum discordiam  
maturè componite, ne iustam numinis vindictam nimis  
um prouocantibus extrema omnia incumbant. Ne pu  
deat iterum in viam redire: ad caeteras gentes quae Chri  
stum profitentur, vos aggregate. Ita efficietis CHRIS  
TI membra denuò vt sitis, qui corporis portentosi  
& sui dissimilis caput esse non potest. Ad fidei vestrae  
simbolum respicite, nonne haec habet verba?

¶ Credo in spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam  
catholicam, sanctorum communionem.

**Q**ua totius populi fidem ac CHRISTI nomen  
profitentis vniuersas per orbem sparsa intelli  
gitur, quo ego me ex numero futurum spero. Possem  
alia complura in hanc sententiam adferre, homo alios  
qui (quod nemo vestrum ignorat) literarum rudis.  
Sed haec dixisse satis erit. Atque hoc loco profiteor, vi  
ri boni, verè atq; ex animo, tam seriò vt magis non pos  
sim, quae dixi, ea à me ipso profecta esse, nemo id à me  
contendit, nullius autoritas incitauit, nulla adulatio  
aut uiuendi spes commouit. Testis est Episcopus Vi  
gorniensis, quem praesentem videtis, veteri necessitu  
dine mihi coniunctus, apud quem peccata mea confess

sus sum, qui quum ad me veniret, ita sentientem inuenit. Hæc autem meo ipsius arbitrio & voluntate exposui, vt et conscientiam meam liberarem, & charitati in patriam atq; amori satis facerem. Possim hic viri boni, multo plura recitare, quæ me ipsa malorum experientia, quæ huic regno ex ea occasione acciderunt, vsu edocuit. Sed aliam mihi rem agendam scitis, cui, quod iam tempus effluxit, me vt parem, necesse est. Reginã verò illustrissimam rogo atq; obtestor, quæ ego in ipsius Maiestatem crimina admisi, ea mihi condonet: cuius rei magnam in spem venio ex ea, qua iam dudum erga me vsa est, benignitate & clementia. Quem enim statim nullo iudicio aut quæstione habita, quod contra eam arma gessi, crudeli & ignominiosa morte afficere potuisset, vt primo in crucem agi, posttrahi, deinde membratim concidi iuberet: tamen pro incredibile sua clementia & misericordia in iudicium adduci, & secundum leges latas de me queri passa est, quo in iudicio iustissimam & à me maximè meritam accipi condemnationem, nunc etiam de ipso modo genere per clementer & misericorditer sublimitas ipsius mecum egit, ac propterea spero ex ingenij sui bonitate, quicquid reliquum est indignationis & offensionis in me, id totum condonaturam, quod vt fiat, vos precemini, etiam atque etiam obtestor, simul vt eius Maiestatem DEVS Opt. Max. diu seruare velit, vt regnum in vos cum omni foelicitate & dignitate obtineat.

¶ Populus acclamabat, Amen.

**Q** Vum hæc dixisset, genibus prouolutus circumstantes ita alloquitur: Vos omnes rogo atque ob

<sup>ratic</sup>  
hor, testes fitis me vera & catholica fide præditum &  
vita migrare. Inde Psalmum quinquagesimum, Mife-  
rere mei DEVS, & vicesimum nonum supra centesim-  
um, De profundis clamaui ad te. Item orationem Do-  
minicam latinè recitauit, addidit versus sex ex eo Psal-  
mo, qui est tricesimus: In te Domine speraui, desinens  
in versum illum quo dicitur, In manus tuas Domine  
commeudo spiritum meum. Quum hunc in modum  
preces absoluisset, spiculator sibi veniam vt da-  
ret, ab eo petijt. Ad quem ille: Ego verò, inquit, &  
quidem ex animo tibi ignosco, tu quod tui est officij, in-  
trepidus exequare. Truncus ei ad volutus erat, in  
quem se quum inclinaret, Ego, inquit, merui milles vt  
morerer. Tum stramen quod erat subiectum,  
cruce signat, deosculatur, cervicem  
trunco admouet, ac moritur.;

Sicut præcedens Figura  
ostendit.

Cum consensu D. Administratorum partis vtriusq.  
Et D. Capitanei Arcis Pragensis

Excudebat Pragæ, Ioannes Cantor.  
Anno. M. D. L. III.



ratic  
 ellor, testes sitis me  
 vita migrare. Inde P  
 rere mei DEVS, &  
 mum, De profundis  
 minicam latine recita  
 mo, qui est tricesimus  
 in versum illum quo  
 commeudo spiritum  
 preces ab soluit  
 ret, ab eo peti. Ad  
 quidem ex animo tibi  
 trepidus exequare,  
 quem se quum inclin  
 morerer. Tum  
 cruce signa  
 trunco ac  
 Sicut p

**Cum consensu D.**  
**Et D. Cap**

**Excudebat**  
**Anno**

lica fide præditum e  
 quagesimum, Mises  
 onum supra centesi  
 Item orationem Do  
 versus sex ex eo Psal  
 ine speravi, desinens  
 manus tuas Domine  
 um hunc in modum  
 or sibi veniam vt da  
 Ego vero, inquit, &  
 quod tui est officij, in  
 ad volutus erat, in  
 quit, merui millies vt  
 l erat subiectum,  
 r, cervicem  
 oritur,  
 gura

rum partis vtriusq.  
 Pragensis

nes Cantor.  
**L. III.**

